

# **Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Dissertationis stoicae de praeparatione ad futuros casus**

...

**Bernd, Adam  
Hartmann, Samuel**

**Lipsiae, 1704**

**VD18 90576101**

Dissertatio de Praeparatione ad futuros Casus.

[urn:nbn:de:gbv:45:1-15941](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-15941)



## DISSERTATIO

### *de Preparatione ad futuros Casus.*

#### §. I.

**D**Ocuit admodum nuper Nobilissimus Dominus Præses, quomodo Animum contra omnia, quæcunque nobis in vita eveniunt, sive bona sint, sive mala, præmunire possimus, ut non suâ excidat Tranquillitate; cum verò in generalioribus tantum substiterit & contra Casus non nisi in genere consideratos consilia quædam suppeditaverit: placet jam Ductore illo Telam, quam exorsus est, pertexere, & nonnullos jam formare Casus etiam specialiores magisque determinatos & quibus præmeditationibus & præparationibus illis obviam sit eundem, ostendere, hunc maxime ob Finem, ut specialia quædam Exempla in Parte hac Posteriori citanda & proponenda Generalioribus in Parte priori aliquam Lucem afferant.

§. II. In illis autem formandis, non sane opuserit, certo nos ordini rigide adstringere, sed quia de casibus h. l. agendum nobis, etiam fore permissum putamus, ut objecta bona & mala, prout ea Casu se nobis obtulerint, promiscue considerentur: quæ etiam non atrocissima semper & rarissime hominibus nonnisi paucis, dum vivunt, contingentia; verum talia potius futura sunt, quæ, quamvis sæpe levia, quotidie tamen Hominibus in vita evenire videmus, & in Animo Hominis antea pacifico cuidam mari simili, tanquam impetuosi venti & procellæ, invidia, iræ, odii, tristitiæ & aliorum affectuum fluctus attollunt, totam mentis malaciam uno Impetu auferentes. Prout & Nemo à nobis sibi promittat, præparationis media contra speciales Casus jam afferenda fore talia, ut non unum eorum aut alterum hoc loco contra hunc maxime Casum adhibitum non possit insimul forte alii Casui opponi & ap-

plicari, partim cum hic rigor in ipsa Praxi deinde non sit observatu necessarius, partim cum, ut jam supra fassi fuimus, nihil aliud nostro Labore quàm levem rei manuductionem tradere velimus, accuratorem & plurium Casuum Formations solidiorumque contra eos remediorum Inventionem proprio cujusvis studio relinquentes.

§. III. Cum autem primum quasi affectuum deprehendam esse admirationem aut minimum magnam excitandorum occasionem, ipsis desideriis Animæ nostræ priorem, ne vehementiorum in Anima sit causa motuum, contra illam aut potius contra ea, quæ illam excitare solent, statim inter Initia præparandus erit Animus. Finge ergo tibi, te Hodie aut propediem nova & inusitata auditurum, aut talia visurum, qualia orbis nondum vidit, Natura nondum produxit, artificis manus nondum elaboravit, & ad quorum aspectum stipes & stupidus videatur, qui non stupeat; Cave, ne admireris & præceps admiratio te in præmaturum rei odium aut amorem etiam vix sentientem rapiat & deinde ob carentiam oblatae rei aut illius præsentiam mentem vehementius solito afficiat. Philosophiæ enim Cultor es (sic te ipsum alloqui veluti te decet) cujus Finis à veteribus sapientibus jam olim constitutus erat, nihil admirari: qui multa admiratur, multa adhuc ignoravit. Quid autem est, quod tu tantopere dignum admiratione censes, nonne pars materiæ hujus universi, ex quâ tu ipse es formatus, scite tantum efficta & varie modificata? respice semel accuratiori mentis oculo te ipsum, artificiosissimam Corporis tui structuram, aut si polles, ipsam hujus universi stupendam & admirandam machinam, & desine tandem vilia admirari. Non tamen propterea exclusam hoc ipso volumus admirationem moderatam, quæ sæpe occasio est cupiditatis discendi & rerum Causas investigandi. Ulti nec prohibemus admirationem magnitudinis Beneficiorum à Numine nobis collatorum aut aliarum rerum, præstantiâ suâ quandoque nos ad Laudes, ad Gloriam Dei, ad lætitiâ intensissimam, imò pectus ad ingentem Amoris Fervorem erga Creatorem inflammantium; quanquam etiam in affectibus sua Natura jam bonis, qui & motum animæ & conformitatem cum voluntate Creatoris simul notant, in quibus, uti dicitur, non in excessu peccatur, modum observandum putem, cum Deus non cultum sui ab Anima nostra ita requirat, ut eo ipso corpus periculo exponatur, nisi peculiaris Necesitas & singulares Circumstantiæ id requirant, ut adeo hæc ratione illi, qui  
in-

infallibili illo internoque (a) de futura sua Felicitate gavisi sunt testimonio, interdum non male inter summam exultantis Cordis lætitiã & dulcissimos vitæ æternæ prægustus à Deo petierint, ut suavissimas has perceptiones in alteram vitam differat, Cordis enim in hâc vita angustias non posse sine damno & periculo Corporis ferre tantas futuri seculi delicias.

[ ( a ) Apoc. 2. vers. 17. & 3. v. 20. )

§. IV. Finge porro, tibi rem fore forte cum quodam in Præsentia aliorum, cui tu ignorantem & contumacem tuam, quam foves Animi sententiam, non possis persuadere, & à cuius opinione e diametro tuæ oppositâ tu ex adverso abhorreas, præpara Animum, ne in tali Casu tùm, uti toto die aliàs videmus fieri, ad iram vehementissimam aut acerbissimum odium te permoveri patiaris. Memento quæso, uti nec duo Folia ex eadem Arbore desumpta, nec duos per totum Terrarum Orbem homines invenies vultu exacte sibi similes, ita nec te repertum esse duos justam Intellectus similitudinem habentes. Oculos habemus omnes, & tamen Corpora non sub eadem Magnitudine sese exhibent uni, quâ se repræsentant alteri: & tamen radii à Corporibus reflexi non eundem plane Colorem nobis qualem aliis sistunt, de Nomine licet conveniamus. Omnes Papulas sub lingua habemus, at, si internas perceptiones, quarum nos conscii sumus, possemus aliis aliter quàm per signa seu vocabula communicare, iidem cibi non penitus eundem apud omnes habituri essent saporem. Et ita & reliquorum sensuum sese habent objecta ob organa in Hominibus non plane eadem, etiam non eodem modo aut minimum non eodem gradu afficientia. Quemadmodum itaque non propterea Creaturam rationalem magnæ Imperfectionis aut Creatorem deceptionis accusabis, cum sensus à Creatore nobis dati sint non ad Inquisitionem veritatis sed conservationem nostri Corporis, illi autem Finem hunc suum, etiam prout nunc sunt constituti, obtinere queant; quid tu postulas ab omnibus Hominibus inter tot infinitas Cerebri modificationes & sanguinis spirituumque diversitates ut objecta omnia cognoscibilia eodem modo & eadem facilitate intellectui illorum se repræsentent, cum Intellectum Anima non sit sortita ob varias inutiles & sæpe non necessarias scientias, sed sufficiat, ut in generalibus, quæ scire Felicitatis & Utilitatis nostræ interest, Genus humanum facile convenire possit. Commiseratione tùm tibi opus est, non ira. An præterea nescis totum fere orbem, præcipue qua literarum regnum patet, multis vocabulis jam mul-

tis abhinc seculis deceptum, hausisse in primis tenerisque ætatis Annis mortales voces nihili, nihil significantes & sæpe nullum conceptum, nisi forte confusum & obscurum in se involventes, has consuetudine & repetitione familiariores redditas altissimas egisse radices, & deinde à patribus infelicibus Natis & Nepotibus tanta cum veneratione esse traditas, ut, qui nunc eadem lingua non loqui aut corrigere mentem velit, Portentum videatur. At enim Contumacia in rebus cognitu facilibus Adversarii tui te irritat & sufficiens ad Iram tibi videtur Argumentum; verum annon & ipsam illam Contumaciam falsum de rebus præcessit iudicium, nonne & perversum illud ejus iudicium infirmi intellectus nititur Fundamento & præcipitatâ voluntatis acquiescentia. Itaque & sic imbecilli & infirmitatis Nævo Laboranti venia imò palma victoriæ permittenda. Deinde noli, nonnisi leviter tentatis viribus statim Triumphum canere & dubium Triumphum reddentem tantopere fastidire; si enim robur rationum tuarum sine affectu considerares, forte & tua sententia adhuc ficulneo sat niteretur Fundamento, cum inter tot infinita incerta & dubia hujus vitæ etiam subtilissimis Ingeniis rerum vel levium & quotidie ante oculos versantium causas meditantibus mox aqua hæreat. Præterea perpende modo dissimilitudinem linguarum, occultas verborum Emphases, sermonis ambiguitatem, significationis amplitudinem in una sæpe voce, vocabula obscura, dicendi Anomalias, integrarum Constructionum Amphibolias, stilum figuratum, nomina relationum, nomina clararum & obscurarum notionum, immensam mendorum multitudinem, peccata à dictante, à scribente commissa, distinctiones omissas, scripturæ Compendia, Librariorum Incuriam, Criticorum Temeritatem & imperitiam, Impostorum Impietatem & falsariorum, perversas emendandi leges, & fer iudicium, annon veteres, de quorum sensu sæpe tibi cum aliis lis est, nonnisi summa cum difficultate intelligi queant. At enim, inquis, si voluntariam Cladem patior, cæteri, qui adsunt, abjecte de me imposterum sentient, bonæque faciam Jacturam Famæ Verum falleris; illi, qui testes Certaminis vestri sunt, vel prudenter vel imprudenter ferent sententiam, si prudenter tuæ ut veræ sententiæ adstipulabuntur, Prudentiæ tibi Laudes non verebuntur vindicare, imbecillem patienter ferenti; si prudenter alterius meliori opinioni favebunt, eadem Prudentiæ Laus tibi dabitur, sponte modesteque superiori sapientiorique cedenti; si im-

pru-

imprudenter tuæ assertioni assentient alias falsæ, eadem ab Imperitis Laus tibi manet, si imprudenter alteri palmam adjudicabunt & te alto supercilio spernere incipient, ô imbecille, si optas anxie plausus Laudantium, qui Laudandi Fundamentum nullum habent, & quos propterea ipse Laudare non potes. Et annon tranquilla mens, quam iræ fervor obmota jurgia turbat, præstat vano quorundam Hominum judicio. Num magni facies judicium aliquod de te latum, cum tua Tu judicia de aliis sæpe pronunciata, si te examines, non tam magnifeceris, nec aliis tanti imputaveris? Denique, si incorrigibilis tuus Adversarius, non tamen statim incorrigibili & perpetuo dignum cense Odio; qui in his erravit, forsan in aliis sanam & doctam mentem habet, proximo satis in vita sua proficuum.

§. V. Cum jam semel sit facta iræ mentio, non possum non illi considerandæ aliquanto diutius immorari, cum noxiosissimus sit humano Corpori & Tranquillitati Animæ affectus, ante alios omnes obinde sedula cöercendus Præparatione. Utut enim, si moderata sit & nostro arbitrio non suo feratur, libenter concedam, (a) dici posse Calcar Virtutis, quô erepto, inermem animum & ad Conatus magnos pigrum inertemque fieri: patiar nominari cum Cicerone Cotem Fortitudinis aut nervos Animæ; nulla tamen, si Limites excedit, celerior ad Insaniam & stultissimum Furorem via est, quàm per iram, quæ etiam Homini non tantum pessimarum Actionum, quarum sobrium deinde ad mœrorem usque pudet & pœnitet, autor est, sed etiam non raro mortales difficillimo implicat morbo, imo, quod mireris, nonnunquam ipsa morte. Ipse Moses fidelis alioquin Domini servus hic humani aliquid passus, Imbecillitateque suæ succumbens aliquando & abreptus ira vehementiori Tabulas legis fregit, & bis Petram contra Dei mandatum percussit, Actione sane, illi postea pœnitenda, quippe quæ eum ab ingressu in tam exoptatas Terras excludebat. Rebellio Civium Thessalonicensium aliquando Theodosium (c) impotentis Animi Imperatorem ad tantam iræ rabiem converterat, ut veluti Canis vehementiori contra Feras concepta ira occœcatus, nullo inter fontes & innocentes habito judicio atque discrimine, septem millia Civium iracundiæ suæ immolaret. Et uti imbecillem vel mus mordeat, ita Valentinianus Imperator ipso Adria iracundior, re non nisi levi aliquando, vili nempe & ignobili legatorum Sarmaticorû habitu ad iram tanto cum Impetu com-

mo-

motus, ut subitam mortem sibi, antequam Fata poscerent, acceleraret, quasi non consultius fuisset, iræ vim in incultis Barbaris quam in se ipso experiri. Nec opus est quarti seculi homines, qui ira seipsum occiderunt, conquirere, licet hujusmodi hominum haud paucos etiam nostro reperire aëvo. Quot enim, quæso, Hominum Funera efferi quotannis non videmus, quorum ratio mortis in domito huic Affectui imputatur, ad iram, inquit, mortis Causam in hoc vel illo percunctantibus, subitanam & vehementem concitatus fuit. Res portento similis & phænomenon vix alicui solvendum: Homines omnes instinctu æternæ legis volunt esse tranquilli & læti, & iram tanquam Claustra Erebi & ut sereno mentis inimicam fugiunt, & tamen per totam vitam inter infinita alia inutilia sæpe & non necessaria occupati, fere nunquam & multi ne semel quidem de ira refrænanda serio cogitant. Et si tota ipsorum vitæ ætas calculo subjicienda esset, appareret quidem, maximam vitæ Partem rebus historicis, oratoriis, Linguis aut aliis memoriæ & phantasiæ studiis, aut otio aut aliis oblectationum generibus consumtam; ad cohibendum autem ut aliorum sic & hujus sævi affectus impetum ne horam quidem fuisse impensam. Deberent tanquam æternam veritatem amplecti, Homines cum Deo non posse reuniri, nisi Cœlestis divinæque sint indolis; illi vero his non rite pensatis ad ferinam bestialemque se abjiciunt Naturam. Tu mihi, sane, facile viros reperies in orbe, qui per totos Dies, Noctes, Annos totos, multum atramenti & olei (utinam non & operæ) perdendo ad sudores usque laborant, ut modo innumerabilia & vana externorum voluminum illorumque Autorum Nomina cum supercilio coram simplicibus jactitare possint: qui putant sapientiæ Regnum mox iri eversum, & barbariem antiquam & secula illa tenebrosa & horrida esse reditura, nisi sciant, quem pedem primum Æneas, cum ad Italicum appelleret littus, Terræ imposuerit, aut quo præcise ordine Cibi apud Romanos & Græcos in Conviviis fuerint appositi, aut quod vocabulum aureæ & Ciceronianæ sit ætatis, (vana mortalium studia ad veram Felicitatem nihil, ad Eruditionem veram parum facientia!) qui tamen deinde exposituri has egregias merces coram aliis, in excelso sedem ad raucedinem usque rabidi & omni Busiride crudeliores in negligentes Emtores & incuriosos Gemmarum Spectatores deserviunt, tumultuantur, debacchantur, suam & aiorum vitam reddentes molestam & amaram; nam ut huic malo non  
obviam

obviam procedant, dignitas illorum falso credita studiorum facit, de quibus modo dixi, omne omnino aliud correctionem sui meditandi spatium excludens. Videmus etiam sæpe, qui vel super ligna in Fornace ad primum furcæ nutum non statim ordinem observantia, vel supra calamos scapelli medelam non statim admittentes, vel supra angustias calceorum prima vice non satis cito pedibus patentium, vel super irrationale animal non statim ad virgæ umbram parens & supra alias quascunque res nonnisi parum molestas, tantum iræ furorem effundunt, ut frementium instar undarum aut Frendentis admodum Equi spument.

(a) Seneca ita appellat eam lib. 3. c. 3. de ira. (b) Exodi 32. v. 19. Num. 20. v. 10. (c) Soz. lib. 7. c. 25. (d) Marcellinus lib. 30. c. 6.

§. VI. Ut ergo hos tuæ Vitæ scopulos evites, propone tibi ea, quæ antea tuæ iræ excitandæ occasionem præbuerunt, aut nunc excitare posse creduntur. Propone tibi in genere omnia molesta, quæ tibi possunt hodie aut alio Tempore contingere & contra illa Animum Præparatione erige. Ante omnia omnia pro levibus habeto, & generoso Contemptu in te irruentia spernas; quæ vilia habentur, His animus rarò movetur, deme rebus Faciem, quam vulgus & Error imposuerunt, uti alias molestias rerum augendo te præcipitem & facilem in præmaturam iram reddidisti, ita nunc minue & tamdiu in magnis parva meditare, donec ne in molestissimis quidem molestiam amplius invenias. Deinde perpende, num unquam temeraria tibi profueris ira. Nonne eo ipso iudicium pervertis, ut plane res, prout in se sunt, non adspicias, nonne rem alias celerius perficiendam cohibes & tibi ipsi operanti remora & impedimento es? Et si nihil te movet, ut non movearis, saltem exige tecum periculum vitæ, quod incurris; Tremorem artuum quem tibi attrahis; vitæ decurtationem, quam efficis, Tranquillitatem mentis, quam amittis. Meditare ludibrium, quod debes sanioribus, qui te insanientem furentemque vident, qui pro indubitata veritate habent illud: nemo irascitur nisi stultus. Nixi enim sunt recto rationis dictamine, quæ mala vel ferenda, vel pericula declinanda, vel in certo Casu demum resistendum, & vim vi repellendam, nullibi Iram dicitat.

§. VII. Porro si juventuti regendæ sis præfectus, præmeditare illius levitatem, negligentiam, contumaciam, stupiditatem & omnia, quæ te tibi ipsi eripere alias consueverunt, antequam ipso opere illa

B

omnia



omnia experiaris, sed antum inter meditandum illa digna irâ judicabis? ~~minime~~. Non hæc dico, quasi tibi coercendæ primorum An-  
norum malitiæ instrumenta ex manibus extorta, atrocitates minarum  
ex vultu relegatas, severa & objurgantia verba ex ore amandata velim,  
contra excessum te præmunitum cupio, ne phrenetici instar limites om-  
nes justæ commotionis transgressus ipse te regere nesciens, illorum,  
quos regere debes, plurimis bilem, reliquis risum moveas, omnibus  
contemptum Tui crees. An enim Tu justam & accuratam omnium  
rerum observantiam à Pueritia, à teneris indomitisque Annis, ab Ado-  
lescentia, à juventute poscis, quam ne quidem ab Hominibus robustio-  
ris ætatis, firmioris judicii, & majoris prudentiæ obtinere possumus, & ta-  
men non adeo rigide cum illis agimus, & quam tu ipse ne quidem à Te  
in munere tuo, negotiisque, quæ tibi incumbunt, secundum omnes par-  
tes absolutissimam impetrare vales, cum tamen erga Te non ita crude-  
lis sis, sed tibi indulgeas. Quantum ergo duri Regiminis in illos ex-  
cendum, in Te prius statuas necesse est. Annon & tu in ista ætatis  
Infirmitate constitutus olim, fuisti tam facilis ad delinquendum? Num  
tibi soli Natura tantam Ingenii Felicitatem dederat, ut si vota valuis-  
sen, non interdum optandum esset Infundibulum? quis ergo animus,  
quæ mens tua tum temporis, quando gravem Carnificis tui Immise-  
ricordiam toto Corpore sæpe innocens sentiebas. Putarem ipsa Ex-  
perientia te dudum didicisse, Manlianis his Imperiis & pessimo hoc mo-  
re optima Ingenia sæpe perdi, cum miserrimi hi mortaliū, si quid  
non statim allequuntur, aut desiderata responsio non statim incidit, dux  
interim illorum non aliter ac Jupiter horrifono ruens in illos Tumul-  
tu fulmina & Tempestates verborum ingentes minatur, & jam sceptrum  
tanquam clavam alterius Herculis vibrat, non tantum plane reddantur  
timidi, ad meditandam justam & optatam responsionem perturbato A-  
nimo plane inepti, sed etiam gustata ad nauseam usque quotidie tan-  
ta literarum Amaritudine & vitæ scholasticæ Acerbitate, animum se-  
mel literis dedicatum tantum non penitus iterum abjiciant. Si illi, qui  
ad pedes tuos sedent, non statim capiunt, quod cupiunt, sed quod bo-  
næ adhuc Indolis signum, quod prima vice non affecuti, secunda vel  
tertia, ut comprehendant, interrogant; propone firmiter tibi, ut tum  
p rinde sit, vetera & jam dicta vel decies repetere, quam nova jam pro-  
tatis superaddere: multi enim ad indignationem & iram se permoveri

patiuntur, si discentium stupor & Ingenii Tarditas repetendi Necessitatem docentibus imponunt. Scribe etiam tibi in Antecessum Legem, non perfunctorie observandam, ut, nisi constantis plane Animi sis tibi conscius, nunquam lectionibus Tuis certum Terminum ponas, quousque intra unius aut duarum Horarum spatium pervenire velis; properans enim deinde & omnia in via evitaturus libenter, quæ te diutius in Cursu detinere & à fine præstituto abstrahere possunt, cum nemo nobis magis ægre faciat & irritet, quam qui impedit, ut Fine nostro frustremur, toties discrimen novæ Indignationis subibis, quoties Auditorum qualitas, aut in Interrogando curiositas, aut ignorantia in explicando & respondendo tibi remoram injicient.

§. VIII. Si in publicum prodire debes, imaginare tibi aliquem forte futurum, qui tuum Corpus in Transitu libet, aut quempiam, refertis omnibus Plateis Hominibus, manu, cubito, gladio, baculo aut toto Corpore ex improvviso gravius in tuum Corpus offensurum; Et ne tum instar pulveris pyrii statim flamma concepta in alterum irruas, aut talibus oculis adspicias, quales vix Basilisco physici affingunt hominem nudo adspectu necanti, & sic ad iram vehementissimam aut molatissimam jurgia descendas, sanum quæso ante de his rebus omnibus fer judicium, Te nimirum velle impossibilia in tanto Agmine & Congerie hominum, cum etiam in longe sublimiori dignitatis sede constituti tum quidem Temporis hoc non obtinere possint, nec desiderent, ut eundo per urbem à cæteris omnibus euntibus plane intacti maneant. Et an non & tu forte alio Tempore importunius in obvium procedentem impigisti, quem, si non hæc levia æquo tulisset animo, insanum & summe imprudentem pronunciaasses. Sed de hoc Casu non opus est multa verba facere, & contra illum modum præmunendi animum h. l. præscribere, cum jam ferias nobis fecerit Epictetus ut alibi ita præcipue Cap. v. Enchiridi sui.

§. IX. Denique, si conventus aut Coetus aliorum tibi ad eundem est, meditare tecum, antequam illuc pedem fecas, quæ tibi illic evenire possint ingrata. Dicto forte laderis, aut peteris in locis manifestis Conviciis, ludibrio reliquorum conabuntur te quidam exponere; judicatum, dum adhuc pacato es animo, quid tibi faciendum, faciendum autem illud judica, firmiterque, ut facias, propone, ne malo peractio victus laxatis omnibus iræ Frænis tales suscipias Actiones inconsideratus, quarum memoriam per totam vitam exhorrelicas & quarum te

maxime pudeat. Cogita, nihil in tali Casu consultius, quàm dicteris tibi insultantem maxima, qua fieri potest, verborum lenitate, amore, humanitate, precibus, excipere melius informare, errantem corrigere, placare, imò ad laudem prudentis Hominis apud alios, qui vel micam sanæ mentis habent, obtinendam nihil esse aptius. Nulla etiam ratione alia melius eo illum adiges, ut, si non statim, minimum cum ad se redierit, tibi impensius faveat, præclarius de Te Sentiat, imò sibi ipsi, quod te læserit, gravius & cum pudore exprobet. Crede firmiter, Te olim reputatis præteritæ ætatis actis, germana hausurum Gaudia, quod in evitacionem majoris Damni etiam virili ætati sæpe pudendi caninos hos homines baubari permiseris aut verborum pulpamentis iram illorum fregeris; è contrario, si secus agas, tibi ipsi olim fore iratum, quod antehac adeo tenax tui Honoris vilissimo Ambitionis mancipio cedere ignominiam summam ducens tantas Animo molestias creaveris propter Hominem, qui forte tum jam erit mortuus, vel inutile pondus erit Terræ, Crimen seculi, Deo & hominibus grave, vel ad extremos Garamantas diu delatus, cujus nec nomen nec facta amplius in vita audias. Stolidi illa vocabula, quibus tuæ Famæ injuriam fieri credis, ab æque stolidis Hominibus pessima hac notione onerata sunt, nihil tamen certi sæpe significantia, multo minus valentia eripere Honorem, ob commodum adhuc in suo valore retenta. Fac autem, te retorquere Adversarii spicula, acutiora etiam iis, quæ mittebantur, sed meditare rei Eventum; furor mox arma ministrabit, primò forte ea, quæ Natura, mox quæ artifex paravit. Nonne autem in majorem tui Gloriam cederet, si Homines quærent, cur nullas lites habeas, quàm cur habueris? Quid dicam de Corpore, quod discrimini exponitur, quid de vindictæ Cupiditate & atra Cura, quæ te ubique comitatur, nec ullibi Animum largitur tranquillum, perditura etiam Noctes nisi jurgiis sis jam adsuetus, quid denique de Poena violationi legum decreta vel in ære vel in squalidis sæpe & oculos mortaliū fugientibus danda recessibus. Nonne præstabat devorare breves istas Calumnias, quàm tantas Animi perturbationes tamque prolixas sibi accersere molestias. Muni te his judiciis tanquam aheneo Muro & nulli unquam dictorum balistæ & Convitiarum arietes intorti aliquid valebunt.

§. X. Noxius etiam Animo & Corpori affectus Tristitia est, contra quam se præparasse neminem, certe poeniteat. Cum autem non  
raro

raro Homines tristitia afficiantur haud modica, si se videant omnibus  
iis dotibus orbos, quibus alii a Natura aut ab Arte exornati multis mor-  
taliū admirationi sunt; Prævide, Te hodie vel propediem visurum,  
qui iis artibus & scientiis excellat, quas tibi tantum non penitus dene-  
gatas sentis. Forsan audies aut leges aliquem insigni dicendi genere pol-  
lentem & cum stupore Auditorum vel lectorum dicentem scribentemve,  
aut intereris illis, qui Linguarum & occidentalium & orientalium no-  
titia celeberrimum laudibus ad sidera usque evehant. Corroborata ergo  
animus ea prævidens, si hæc à te abesse deprehendis, ne temeraria &  
maxime noxia Animum oneres Tristitia. Perpende saltem studia phan-  
tasiæ & memoriæ, oratoriam artem & poeticam, & studia Linguarum,  
quæ circa Finem 16 & initium 17 seculi per totum fere literatum eum-  
que restitutum orbem ingenia hominibus cum superficilio ostentabant  
commendabantque, posteaquam studia Mathematica superiori seculo  
& maxime circa posteriorem seculi partem, Physica, Pneumatica, Mo-  
ralia ad id Fastigium perducta, quo hodie conspiciuntur, magis magis-  
que vilescere incepisse. Et id quidem, ut multis videtur, non sine ra-  
tione, cum ipsa ratio dictitet ea, quæ magis Intellectum Cognitione Bo-  
ni, Voluntatem appetitione Boni perficiunt, & quæ ad Animæ & Cor-  
poris Felicitatem obtinendam in hac vita plus faciunt, omnino præfe-  
renda esse iis, quæ non tantopere huic fini assequendo inservire possunt.  
Licet enim totius orientis ore loqui discas, non contentus si quasdam  
voces, phrasas aut quasdam periodos intelligas, iis tamen omnibus,  
quæ exinde hausisti, Principia, quibus nos à cæteris cætibus Consci-  
entia sejunxit, Erroris convincere neque debes neque poteris; quos  
autem exinde veterum Ritus cognoveris, quanquam & illos non satis  
certos, illos potuisses æquo Animo in hac vita ignorasse, nec tantillum  
Tanti Temporis pretio emisse. Et an tu Naturam & per illam ipsum  
Deum accusabis: quod non satis fortem Phantasiam Animæ tuæ dona-  
verit, studiis Imaginationis summe necessariam, à qua vel sola tum in-  
signe illud omnia inter se comparandi donam, tum vis illa omnia vi-  
vidissimis Coloribus depicta sibi repræsentandi, imò omnia illa depen-  
dent, quæ in poëtis & oratoribus naturalem aptitudinem absolvunt.  
Descende deinde in Tuum Annimæ sacrarium, oculis ab aliis Hominibus  
averis, & attende, forte alias dotes a Natura tibi suppeditatas invenies,  
olim, si excolueris, æque futuras mortalibus utiles ac illas. Si ubique

e inferiore ceteris deprehendis, tantum age, quantum vis illa superior viribus tuis agere dedit, non cum tua forte moleste luctaturus. Deus, qui in minimis magnus non raro per exigua dona, superaddito Actionibus Benedictionis Cœlestis Pondere, plus ad utilitatem aliorum potuit, quàm tot scientiis artibusque humanis suffulta multorum sapientia. Si quem vides ob hæc studia turgidum & inflatum & tota Eruditionis monopoliâ, eò quod his mercibus destituta, Theonino dente rodentem, ne movearis, & te felicem, qui hæc nosti, ob errantem & præjudiciis exœcatum, infelicem novo affectu reddas, sed in his foliis verum Eruditi Nomen ponentem, Tempori, senectuti, morti sanandum relinque.

§. XI. Ingens quoque & molestum menti onus sunt consuetudines inveteratæ, quoties exui iterum debent. Ut tu ergò in hæc vitæ Tædia non incidas, non patiaris te unquam per actionum crebrarum repetitionem non tantum in se malarum sed etiam indifferentium assuetudine quasi vinciri & captivum reddi. Etiam in Bonis sua Natura actionibus potius velim te dictamen rectæ rationis quam Consuetudinis sequi, ita ut, si per exercitia & operationes repetitas facilitas agendi tibi nascatur, consuetudo illa sit effectus & præmium potius virtutis, quam illius Causa & incitamentum. Quod si aliis Hominibus alicubi te associes, cogita fore inter illos forsân, qui insigni voluptatis & ambitionis mixtura & delectare cæteros & se coram illis fastuose jactare, Phantasiæ suæ Contagio infirmarum mentium Phantasiâ inficere, affectibus suis eosdem in reliquorum Animis excitare, supra illos dominari, omnibus metum, venerationem, Admirationem, Amorem injicere conabuntur; cave, ne tum præcoci Amore erga vanum hominem præventus, voluntatem & Cor tuum ipsius Imperio permittas & sub ipsius Potestatem quasi redactus eousque deinde per arctiorem Amicitiam & crescentem amorem agglutineris, ut aliquando, cum voles & debbis, ab ipsius Consortio non sis abstrahendus. Plerumque tales Homines nauci esse & nullius frugis memento, felicitate Indolis & dispositione Passionis Dominantis, accedente inter vitæ solutoris prava otia quotidianarum Conversationum usu, cum ferocia & Generositatis magnanimitatisque specie cæteris imponere, dominari, eosque illaqueare assuetos. Et fac tales, quales jam tibi depinxi non fore præsentem, nolim tamen tibi consulere, ut unum locum statò Tempore diu frequentes,  
cum

cum enim posthac penitus relinquendum illum Locum major necessitas urgebit, ingens tum sedeunte Tempore & horis huic Conversationi alias destinatis, spiritibus easdem in Animo jucunditatis ideas excitantibus, quas alias circa hoc Tempus excitare soliti fuerunt, tibi cum Amore soliti & fuga insolentiae lucta erit, mox inferiori mox superiori nunquam sine magna Animi molestia.

§. XI. Praestat etiam Cupiditatibus frænum injicere, Hominem ad ea abripiantibus, quæ Corpus & Corporis sensus & inter illos maxime gustum & Tactum suaviter afficiunt. Quotiescunque itaque vides Palati tui Delicias, vinum, sapidissimas dapes tuæ Gulæ blandientes, aut alia Voluptatis & Carnis nostræ irritamenta, oportet te jam antea præparasse, deque his omnibus recte sensisse, præcipue ut tum hoc tibi in promptu sit, in rebus illis, quibus tam immensam Notionem Boni perditâ voluptatibus Gens humana imposuit, eas ipsas qualitates, uti Aristotelici eas appellant, quæ delectant adeo, non esse peculiare quasdam Entitates, quæ in se aliquid habeant cum illo ipso, quod anima percipit, commune, sed illas res esse extensam & ex particulis compositam materiam, ut alia quacunque materia, quam vides, tantum particulis paulò aliter figuratis & vel acutioribus vel globosioribus aut alio modo formatis constantem, & ejus tota delectandi Facultas à dispositione partium, ab organis mei Corporis & lege Creatoris dependet, quæ voluit, ut Anima occasione illarum rerum non aliam nisi hanc vel illam perceptionem haberet. Ut autem hunc suavem sensum Creator Animæ nostræ daret, ea maxime fuit commotus ratione, ne, si Tactus & gustus ab objectis tanta asperitate & Amaritudine afficerentur, homines tam à Conservatione sui quam multiplicatione abhorrerent. Tantum ergò & toties agendum est, quantum ad hunc Creatoris Finem obtinendum sufficit, & quoties illum intendere licet.

§. XII. Magnum quoque Individia malum, & perinde ac Promethei Aquila miserum hominis Cor quotidie depascens. Ut infaustam hanc avem & Tranquillitatis veræ hostem à Pectore depellas, subjice mentis oculis prius quàm Corporis, magna Honorum subsellia, præstantia Doctorum stipendia, ingentem aliorum existimationem, Confluxum eorum, qui horum opera, sapientia, solatio utuntur, & ne hæc aliter, quàm par est, te moveant, Labora. Judica te contra ipsum Deum te erigere, & illius sapientis Patris Regimen ægre ferre, mortalibus  
dotes,

dots, dotibus Honores non ad tuum decernentis Arbitrium, aut si ille, quem tuæ menti præsentem sistis Cælo & Hominibus per indignas furatus est Honores vias, etiam tum Deum tibi imitandum cense, aberrantes à sua voluntate Creaturas sine motu videntem & ferentem. Si plures aliorum flagitant opem quàm tuam, fac tuum illud magni Doctoris majori credentis, summam humilitatem spirans; me oportet decrefcere, illum verò, Deo sic volente crescere. Adde, si Deo placet, miseris mortalibus per alios auxiliari, per me licet, ego non morabor, ipse gaudebo, modo orbis reddatur doctior & melior.

§. XIII. Dubitabamus quidem inter initia contra vitiosam Verecundiam præparare animum, cum, quamvis non parum mentem totam perturbet & vel optimas actiones, quæ suscipi debent, dedecoret, tamen juvenilis plerumque ætatis tantum sit Imbecillitas, Tempore tollenda; nihilominus tamen, cum & non rarò ipsos veteranos & senes hoc morbo laborare, & sæpe ne quidem per totam vitam, aut non sine magno labore molestiaque eundem depelli deprehenderemus, non potuimus non pauca etiam contra illum scribere. Equidem, si Senecæ (a) sententiam nostram fecissemus, ne quidem pauca dicere, sed plano silere debuissemus. Ille enim asserit verecundiæ qualitatem plane invincibilem & nulla sapientia naturalia talia Corporis aut animi vitia poni, infixum hoc esse vitium & ingenitum in quibusdam, arte itaque leniri parumper, nunquam vinci. Uti autem alias Seneca vel maxime urget, ut animum adversus irruentia induremus, ne præparatum bene Pectus ulæ feriant ruinæ, ita cum hic Seneca quasi in Seneca desideretur, videbimus ipsi, num aliqua Præparationis medicina huic Animi morbo resistere queamus. Quoties igitur vel sermo tibi publice coram eximie dignitatis & Eruditionis viris habendus est, aut privatim cum Patrono tuo aut alio viro conspicuo loquendum, sive quotiescumque talia prævides, quæ tuo vultui ruborem incutere possunt, ne tum totus confundaris & percussus hareas, duo ante omnia facienda tibi memento, nimirum non nimis abjecte de te & tuis viribus, nec nimis magnifice de aliis sentiendum; Magnam enim sui, parvam alterius æstimationem pro tollenda verecundia utramque arbitror facere paginam. Aut ne putes pravum affectum per æque pravum, vitium vitio, & verecundiam superbia me corrigere velle, dico, justum & verum de Te & aliis iudicium efficax & verum contra hanc Infirmitatem remedium. Ipsa Experientia

tia

tia hæc, quæ dixi, affirmat. Ambitiosi enim, qui de se supra modum præclare sentiunt, aliis cum supercilio spectant, quo minus cognitionis sui ipsius, eò plus audaciæ & perfrictæ Frontis habent: non ad ullius ora horrent, non inter loquendum tremula præ pudore hæret Lingua. Via tamen te media incedere volo, illorum excessum & horum defectum evitantem, etiam sic & quidem cum virtute, si neque minori neque majori, quàm decet, te modulo metiaris, contra hoc vitium satis armatum. Quod si in te descendendo parvas Sapientiæ & Prudentiæ vires deprehendis, cogita: si ob id erubescis & confunderis, non te juvas & tibi mederis, sed reddis te minorem adhuc quam revera es, illis, qui tecum vivunt: sin verò in ipsa Juventutis Aurora meridiem quendam scientiarum in te observas, quid virorum conspectum & ipsos soles reformidas? Erubescisne ob aliorum Eruditionem? expertus, puto, jam es, 'quantillum doctissimi Viri sciant. Dignitas & subsellia te faciunt timidum? nonne tu miratus sæpe, si alius inferior te, ob tuæ dignitatis nimiam æstimationem in tuo conspectu erubuit, quam tu tamen non tanti æstimas. Confundunt te alterius Divitiæ, nonne & illæ sæpe in simplicissimos cadunt, & non ab hominis arbitrio pendent? Metuis forte Patrono tuo displicere & tuæ Felicitati obesse? nimis, quæso, stricte metiris Potentiam divinam, quam in prospiciendo tibi de hujus vitæ Felicitate ab uno homine dependere credis. Homines ergo sunt, cum quibus tibi res est, Imbecillitatibus & inordinatis cupiditatibus, ut tu miser homo, subjectus, & si coram Deo oculos tuos attollere nullus timor vetat, homines impostero non Deo præferas. Sapissime interesto nobilioribus & sæpe actiones præclaras in Conspectu aliorum suscipias, ut eò magis virium tuarum fias conscius, de quibus non potes non diffidere, quando nullam adhuc conscientiam tui tuarumque virtutum per actiones crebras tibi acquisivisti.

(a) Lib. Epist. XI.

§. XIV. Nemo autem putet, nos, dum hucusque contra Casus non nisi leves animum obfirmare docuimus, atrociores Casus a Præparatione excludere; præstat nonnunquam, prout cujusque vitæ ratio jubet, etiam ad ea fortiter perferenda se disponere, quæ totam sæpe mentem in summam Confusionem & Perturbationem rapi-

C

unt,



unt, quælia sunt inexpectata de Calamitatibus propinquorum decumanis, aut de illorum mortibus Nuncia, mala domestica ipsis non raro Lacrymis majora, Tecta e. g. igne cœlesti tacta, præter spem & opinionem oblata vitæ statio, non nisi paucissimas Consulendi Temporis permittens moras, imò, quod terribilissimum Aristoteles omnium terribilium dixit, mors ipsa & vitæ nostræ ultima.

§. XV. Quantum juvet contra mala & inopinata Nuncia se immobilem & ferreæ frontis reddere, ipse induobus aliquando didici. Alter illorum, cum se penuria tantum non omnium rerum laborantem & ad incitas ultimasque Necessitates se redactum imo penitus de se actum crederet, nisi Deus & literæ certo die hebdomadis meliora afferrent: statò die exit domo, sed non ut coniciens tantum gratum optatumve literarum Adventum, sed firmissima spe illas ut certo futuras & jam quasi præsentis & Naufragii sui quasi extremam Tabulam amplexurus. Ast ô Fata! quam miserandum iste aliis præbuit coram vacuo & nihil realis solatii afferente Tabellario spectaculum! Pallor primo occupare vultum, mox dolor eum per indigna agere, & ipse, mente in furorem versa dirissima mox sibi mox aliis impre cari. Neque mutata insania cum Loco sed improvide in solitudine Levamentum mali quæsiturus dolori eò magis frena laxavit & quidem eousque, ut parum abesset, quin sequentibus diebus academiam cum militia commutaret, cum Ecce inter hæc insana occupatum & cum desperatione luctantem, elapsis aliquot diebus, meliores literæ, nescio amplius quam ob Causam ad illud usque Tempus dilatae, à temerario Proposito revocarent. Alter autem, qui tum rabiei hujus testis adstiterat, puto ex aliena Insania, prudentior, sed alio Tempore. Cum enim ejus Fama & existimatio bona etiam dependeret ab adventu literarum, uti dicuntur, prægnantium, ille quidem exiit domo spe habendi sed cum Formidine simul oppositi, & in via ad focium, ego quidem, inquit, exspecto literas ultimam salutis meæ Anchoram, interim si vel hac vice etiam spe frustror, non dum penitus abjiciam Animum. Sæpe vitium est in afferente, qui per incuriam quandoque domi quarundam obliviscitur literarum, nonnunquam horologium scribentes fallit & abitum Tabellarii serò venientes, cum Indignatione audiunt jam factum; quandoque etiam implexi labores & concatenate

nata

nata vitæ negotia etiam primam scribentium manum à literis retrahunt ad proximam occasionem differentis; non raro insuper literæ nostræ abhinc missæ vel in via à portante deperditæ sæpe etiam ante abitum clam subtractæ, in quo finis rerum Articulo nondum Amicis nostris repræsentarunt. Deinde, qui in multis locis per annum excusari potuit, per octidui spatium adhuc poterit invenire Fidem, sin minus, perdat ad Tempus existimatio, mutantur ad breve spatium quædam de nobis Hominum Judicia, per aliquot dies iterum corrigenda. Ille certe, quamvis Tabellarius nihil literarum postmodum afferret, uullo modo tamen perturbatus, sed ea Animi Tranquillitate, qua accesserat, etiam Tabellarium reliquit.

§. XVI. Quantum attinet ad domicilia Fulmine tacta, quamvis multis res videatur supra humanâ Constantiam posita, Animum (a) tamen Hominis bene præparati putarem supra ipsa etiam Fulmina esse posse; præsertim, si vel hoc unicum bene imprimatur præmeditantis menti, magnum illum Tonantem esse, à quo hæc Fulmina in Tecta nostra vibrata, cui constat semper justissima ratio sui facti etiam si nobis de ea nihil constet: jucundissimum nos Deo in Coelis præbituros spectaculum in Terra, cum omnia cadunt, inter medias tamen Domuum nostrarum ruinas erecto stantes Animo. Præterea valde dignum & hoc consideratu, vix ullum Exemplum reperiri alicujus, cujus bona notabili hæc flamma conflagravit cui, omnia patienter ferenti divina Prontæa non ita prospexerit, ut non post aliquot Annos horrea sua iterum viderit repleta. Multum etiam Constantiam in his adversis promovet, depulso nimii Amoris terrenorum Bonorum, sua deinceps jactura hominum ad mortem fere contristantium. Excipio tamen peculiarem Dei tentationem, homines quandoque ita ferire & castigare solentis, ut nihil valente ad Tempus contra Animi Perturbationem Præparatione, etiam se feriri & castigari sentiant.

(Hornej. Lib. 3. c. 5. Eth. p. 365.)

§. XVII. Vitæ statio præter opinionem ex improvise oblata, mirum, quam diversos in Hominum Animo habeat Effectus, prout in præparatum aut impræparatum incidit. Qui ne quidem de sparta adhuc cogitavit, cum ipsi occasio subito offertur, quæ eum dare possit vel Templis mystam vel scholæ Rectorem, vix dici potest in quantum ancipitis Curæ Barathrum conjiciatur. Si, quid faciendum sit,

animo secum expendit, mox accipit, mox renititur, paulo post iterum annuit, de novo mox tergiversaturus, & velut in vasto mari nullibi Terram videt, nullum Exitum invenit, & cum argumenta tam pro affirmativa quam negativa sententia satis multa inveniatur, inscius quo inclinet & quò se vertat, incredibili maceratione sollicitam mentem fatigat, donec sæpe, non habens spiritum discretionis Tentationem à vocatione discernendi ad deteriore Partem suæ Felicitati ad usâ determinatur. Qui verò hujusmodi Casus præmeditando jam prævenit hunc in modum : Viaticum Cursui studiorum meorum necessarium magis magisque deficit : plus itineris in hoc studio facere nolo, metam, quam proposueram, non infeliciter attingi, si hoc aut illud munus mihi jam Præmii loco offeratur, non renuam; Profecto illi, quæcunque ipsi fungenda representabuntur offerenturque virilis vitæ officia, ut expendat, quid factò sit opus, etiam unus quadrans Horæ suffecerit.

§. XVIII. Postremum, quod contra ipsam etiam mortem crebra Præparatio maxime sit necessaria, eò minus negabitur, quò magis omnibus constat, jam olim totam & quidem sanio rem philosophiam meditationem mortis fuisse appellatam. Non enim mihi possum persuadere, mortis Adventum tanto Horrore, quo quidem communiter solet, Homines posse percellere, si antea de morte diu cogitaverint, aut de ea recte senserint. Non ignoro quidem, Deum, impressa nostræ Animæ peculiari quadam lege, ut Corpus hoc tanquam suum habeat, adeo arctum reddidisse vinculum Animæ & corporis, ut cujus solutio semper reformidetur, nunquam sine dolore fiat; omnibus etiam Hominibus hanc necessitatis Legem infuisse, ut non possint non uti ad Bonum universale ita ad conservationem sui tendere, destructionem averfari, quò nullæ species intereant aut ne nimium capiant decrementum. Scio etiam illum ipsum, qui morte sua mortem nostram destruxit, suo agone in horto Gethsemane satis ostendisse, quid Natura nostra humana naturaliter desideret & quantopere mortem horreat. Nihilominus tamen putarem impossibile esse, ut illi, qui se ante omnia gratiæ cœlestis reddiderunt certissimos, præviderunt omnia Certamina circa mortem cum humani Generis Hostibus futura, & contra ea se armarunt, quique deni-

denique firmiter Animo impresserunt, mortem non obesse sed prodesse, dum medium & via ad meliorem esse soleat Patriam, tanto Angore ad mortem expavescant, quanto multos expavescere quotidie videmus. Sed cum Præparationibus contra mortem & Philosophorum & Theologorum Libri sint repleti, nolumus de illis multa h. l. verba facere, ad diligentem horum lectionem & propriam meditationem unumquemque ablegant.

§. XIX. Ostendimus sic, uti promittebamus ab initio, speciales etiam quosdam Casus brevemque contra illos Præparationem; quod autem supra monuimus, etiam h. l. & sub Finem dissertationis nostræ repetendum ducimus, nimirum Præparationes hujusmodi crebro instituendas, sæpe repetendas, Firmo Proposito semper eadem judicandi quotidie mentem indurandam, secus enim oblato tibi magni momenti Casu, vel judicia de Casu hoc antea lata non statim succurrent, vel si in mentem revocabuntur, non tibi amplius videbuntur vera eaque mutabis in magnum tui malum mentisque Tumultus haud leves.

§. XX. Putarem hanc Præparationem non incommode ( ut aliquid adhuc etiam h. l. de tempore addam ) institui posse matutinis statim Horis post peractas preces, aut etiam inter ipsas; inter quas Homines, si ardentis sint & ex Fide veroque erga Deum & proximum Amore profectæ, longe aliter & verius quam alias de rebus judicant, ita ut considerent, quæ ipsis per diem agenda, quæque evenire illis queant; ab ituris autem cubitum optime posse repeti ea, ( a ) quæ ipsis eo die acciderunt, & perpendi ubi defecerint, ut, si quis forte Casus atrocior impræparatos & improvidos illa die exercuit, statim nova Præparatione illi forte alio Tempore reversuro obviam procedant, si enim in quibusdam adhuc erratum fuit, non statim abjiciendus est Animus, sed instar Antæi Gigantis novæ ex ipso lapsu sunt capiendæ vires denuo surgendi resistendive.

§. XXI. Cum autem hæ Præmeditationes aliquod Temporis spatium omnino poscant, facile apparet, partem Temporis necessario demendam fore aliis studiis forte non ita necessariis & imprimis illis, quibus non raro tantum in vanum sepulchri Titulum laboratur. Nam

qui in tota vita toti sunt in eo, ut aliquando post mortem illorum grande illud per hominum ora exsonet Præconium: fuit Poeta, Orator, Antiquarius, Historicus, Polyglottus, Philologus, Philosophus, Mathematicus, Theologus, ab illis ut plurimum frustra hæc expectatur Præparatio, non attendentibus, quod prudentiores vilem opificem, sed Temperantem, liberalem, humilem, mansuetam, justum, patientem, cuius alii Eruditionis monstro & scientiarum sacrario, si affectuum miserum adhuc sit mancipium, dudum prætulerint. Quod si ne sic quidem res procedat, & non parvo licet Temporis spatio præmeditationibus talibus impenso, te tamen adhuc infra Casus esse deprehendas, confugas etiam ad Preces, & mediis naturalibus non sufficientibus, gratiam superiorem quærere, ut viribus nativis deficientibus, à cælo nobiliores accipias vires semper & ubique Deo & rectæ rationi obediendi. Ipse Deus ad hoc quoque refugium nos manu ducit & occasionem suppeditat, dum sæpe omnes Præparationis factæ conatus irritos ad Tempus fieri permittit, ut eò citius videamus, quam miseri sine ejus Auxilio simus, & ne deinceps nostræ Prudentiæ nimium, sed ut potius in omnibus vendicetur

S. D. G.



COROL.

# COROLLARIA.

## I.

**E**X Lumine Naturæ omnipræsentiam Dei demonstrare Equidem possumus, modum autem omnipræsentia, an Essentialiter ubique sit præsens, ratio humana sibi relicta ostendere nequit, cum paucissima de Natura & Essentia divina habeat cognita.

II. Non datur Indifferentismus moralis.

III. Contra ultimum mentis Judicium Homo non potest agere, nisi prius illud mutet, aut in dubium vocet.

IV. Qui sensum & ratiocinia brutis concedunt, illi aut Bruta etiam peccasse, aut peccatum Hominum Figmentum esse, aut denique statuunt necesse est, DEum justum posse innocentes Creaturas, quales sunt Bestiæ, quæ non peccarunt, iisdem cruciatibus & suppliciis subicere, quibus nocentes & lapsos Homines subicit.

V. Quibus apparitio spectrorum & assumptio substantiarum corporearum à Diabolis fieri solita eam ob Causam suspecta videtur, quia supra potentiam Diabolorum videtur esse, tam innumeras materiae particulas exaere corradere, corrasas tanto artificio conjungere, ut formas mentiantur humanas; illi non perpendunt, tanto Diabolo non opus semper esse labore, sed ad aliquam Imaginem Hominum oculis objiciendam ipsi sufficere, ut in Cerebro spiritus animales eo motu commoveat, quo aliàs motu in sensatione eosdem scit commoveri, si anima hæc vel illa videre debet; Nam ut anima hanc aut aliam perceptionem habeat, non necessarium semper est, ut objectum externum aliquod necessariò existat, quod internæ Ideæ respondeat, uti ex somniantibus & visionariis satis superque apparet.

VI. Qui